IN

Q. HORATII FLACCI SATIRAS

EXERCITATIO POSTERIOR

QUAM D. VI. JUNII H. L. Q. C.

PRO LOCO

IN FAC. PHILOS. OBTINENDO

VENTILABIT

M. IO. IACOBVS MASCOV,

COLL. MIN. PRINC. COLLEGIAT.

LIPSIÆ,

LITERIS IMMANUELIS TITII.

1716.

1716

[illegible]



§. I.



Electare voluit Horatius, sed ut certius prodesset, utque detraheret sapientiæ triste illud supercilium, ac stoicam austeritatem, quæ multis humanum modum excedere, & speciosa magis quam vera, ac in potestate nostra posita docere videbatur. Hæc ejus præcipua laus & olim fuit, & nostro quoque tempore agnoscitur, quo florentes literarum morumque gloria populi, ut docti indoctique legant, suo illum ore loqui docuerunt. Itaque cum jam clarissima ingenia, ne quid in verbis dubii, ne quid in rebus obscuri remaneret, summo studio elaboraverint; fruamur illorum opera, & progrediamur ulterius, & quid ad vitam profuturum afferat, audiamus. Ubi quidem initio statim deprecor, ne quis expectet, ut ex cathedra quasi, multa de virtutum affectuumve humanorum numero, definitionibus ac divisionibus disserat. Liceat mihi, animum ejus ex dispersis hinc inde sententiis collecturo, ut pateat, quo consilio, & quasi præparatione legi debeat, eadem sermonum libertate uti, et familiarius habere philosophiam. Age itaque, Horati, insanire Tibi videntur homines, magno conatu nugas agere, vana rerum specie illudi, nec quicquam ratione timere aut cupere, suis desideriis inconstantes laborare, vitam in apparatu vitæ perdere, fluctuare inter virtutum vitiorumque vices, alia votis præferre, alia facto sequi, nec audere verum sibi dicere. Dic ergo quid facere nos velis ut risum Tibi non debeamus, quis

ille vitæ modus, quo nos ſæpe vocas, tanquam ad actionum noſtrarum & deſideriorum menſuram, unde agnoſcatur virtus illa tua, quæ in illa illecebræ, qualemque ſe per omnia vitæ humanæ negocia exſerat? Tum demum recte de erroribus & opinionibus, quibus in contraria agimur, & tota ſatiræ tuæ farragine judicabimus.

§. II.

Non avocat nos a turba Horatius, & in Druydum ſylvas, montesque Bramanum veritatis cauſa ablegat, ſed mundum & hominum mores, & ſe quemlibet ipſum maxime ſpectare jubet. (a) Quid & quare optent, formidentve: an finem in poteſtate habeant, conſilia ad obtinendum recte temperent, & voto potiti acquieſcant? Quid ab aliis vel opis vel impedimenti proficiſcatur, quantum illa in vita poſſint, & quibus moribus provocentur. Tum pro ſe quisque attendat, quænam in animo illius voluptatis dolorisve ſenſum relinquant, & quam alter ex altero naſcatur, quam periculoſum ſit opinioni, quæ ſolis ſenſibus nititur, adverſus rationem obedire, & cum tanta ſint quibus non indigeat, aliis magis quam ſibi de neceſſitatibus ſuis credere. Congruum ſane eſt, naturam hominum, negociorumque humanorum diſcere, antequam limites illi ſuos ſtatuamus. Prima ſine dubio philoſophiæ moralis ex ejusmodi obſervationibus origo. Singulas initio & rudes ſuggerebat experientia, mox uberiores & auctiores, cum conſtitutis civitatibus, quid publice privatimve hominum mores poſſint, majoribus jam exemplis conſtaret. Itaque excitata iis ratio, generales aliquot inde ut prudentiæ, ita & virtutum regulas formavit, & characteres, & nomina rerum, quas gratas ingratasve ſenſerat.

§. III.

Sic facta quædam & vivendi ars, quæ moderari recte impetus noſtros, & facultatibus naturæ ad comparandam quam appetimus felicitatem uti doceret. Is quidem propoſitus omnibus philoſophis finis, ſed quam diverſimode expreſſus? Quis crederet Platonem, cum nos Deo ſimiles fieri cupit, & Stoæ

ἀπά-

(a) *I. S. IV. 105. ad fin.*

ἀπάθειαν, & Epicurum cum voluptatem commendat, idem velle? Et quis omnes sententias enumeraret? quæ tamen magis de objectis, in quorum fruitione summam felicitatem collocavere, quam de ipsius felicitatis indole, contendere videntur. Quis non miretur, cum humani generis vota ordinari debent & desideria, in tot opiniones discedi? Sed una est veritas, modi ad eam perveniendi, eamque concipiendi varii. Alii propius attingunt, alii in aditu subsistunt, nonnulli ad utrumque extremum aberrant. Multum præterea scholæ corruperunt, nimium subtiles in vocabulis, & ubi principum intererat, ut ab aliis dissentire viderentur.

§. IV.

Sane quod omnibus proponitur, ab omnibus debet intelligi, & omnibus persuaderi posse. Qui ita nos instituit, ut bonum in quo acquiescamus semper affectemus, nonne credibile est, eundem & agnoscendi id, obtinendique potentiam nobis dedisse? Quid opus veterem Græciam sollicitare, & Philosophis Poëtarum manum subjicere

- - - stirpare Platona Menandro
Eupolin Archilocho - - -

ubi ad se tantum revocandus est animus? Est enim in nobis, ut verum a falso, ita & bonum a malo discernendi potentia. Sæpe errori patrocinantur sensus, iidem tamen, si distincte, & data opera aliquid repræsentant, certissimi veritatis testes sunt. Eodem modo internus ille sensus, qui amorem et odium ac prolixam utriusque propaginem gignit, licet transversos multos agat; si ratione regatur, officia nosmet nostra omnium optime docebit. Scilicet omnes instinctus nostri, & facultates omnes serviunt illi voluptati, quam ex conservatione nostri percipimus. Primum in hac vita bonum est esse, sed bene ac placide esse. Criterium itaque eligendorum fugiendorumque erit, quicquid rebus ad suavem illum & beatum & constantem acquiescentis animi statum adminiculi vel impedimenti inest. Hoc est illud veteribus quæsitum πρῶτον οἰκεῖον,

 primum

primum familiare, primum aptum, adscitum, accommodatumque naturæ, in quo illa invitamenta sua, & primum quasi omnium actionum nostrarum mobile reposuit; et a quo perinde, tanquam primo fonte, omnis de bono & malo disputatio deduci debet.

§. V.

Sequamur ergo naturam ducem, & quid facere nos velit ex instinctibus & facultatibus nostris, ac indole rerum humanarum deducamus. Ubi statim deprehendimus, alia plus, alia minus ad finem illum facere. Quædam prorsus necessaria nobis sunt: alia commoda quidem & jucunda, sed carere tamen iis utcunque possumus. (a) Quædam ad vitam & valetudinem ac integritatem corporis, alia ad conscientiam, & animi culturam pertinent. Omnia se præmiis suis commendant, nec sine malo aliquo omittuntur. Prout majora ergo, minorave, fortius etiam aut remissius nos inclinant.

§. VI.

Primo quidem cuilibet apparet, ita nos esse comparatos, ut alter alterius auxilio cum propter vitam, tum propter ipsius rationis culturam carere nequeat: Adeo ut si vel maxime liberalem illum, ac vere humanum affectum, quo sponte & gratis sibi mutuo conciliantur melioris indolis mortales, aut prorsus non senserit aliquis, aut barbara educatio oppresserit: necessitas tamen, ut aliorum rationem habeat, urgebit. Si invitos invicem subigere, si insultare, si res proprias vi auferre instituerēmus, cum unicuilibet idem sui amor, idem resistendi animus, ac eædem fere vires sint; quæ foret illa vita inter cædes, rapinas, insidias, metu, ira, invidia, dolore agitata? Ideo limites cupidinibus ponere, & libertatem, rerumque proprietatem, & matrimoniorum sanctimoniam, pactis primum, & publica fide, post & legibus firmare opus fuit.

Jura inventa metu injusti fateare necesse est.

Dum itaque singuli securitatis propriæ causa desiderium aliquot premere malunt, quam alterum temere incitando, majoris molestiæ discrimen subire, publica sensim securitas, qua reliqua vitæ civilis

(a) *I. S. II.* III. 112.

civilis commoda nituntur introducta est. Et hic sensus est, cum nostro

Utilitas justi prope mater & aequi appelletur. (a)

§. VII.

Invidiose objici solet, quod mox addit:

Nec natura potest, justo secernere iniquum,

quasi assereret naturam quidlibet faciendi potestatem nobis reliquisse, nec aliquid extra leges vitii fore. Quae cum aliae apud alios populos sint, ac subinde mutentur, nihil certi in doctrina morali remaneret. Sed locum inspicientibus patet, prorsus aliud agere Horatium. Disputat adversus Stoicam delictorum aequalitatem, & aliud alio atrocius esse, prout gravius leviusve utilitatem publicam violet, cujus causa & leges illae, & actiones, & remedia coactiva constituta sint. Extra civitatem ubi quis laeditur, ultionem una cum familia & amicis parat, & modum inimicitiae non capiunt, adeoque abstinere ab injuria suadet ratio, tanquam a re noxia. In civitate autem magistratus est definire jura singulorum, & quae quis jure perfecto, & actione in foro ab aliis exigere possit: quibusque modis inviti etiam compelli, & in ordinem redigi debeant. Sic demum notio justi, injustique oritur, quam etiamsi dicas a sola lege civili pendere, nihil tamen virtuti & officiis nostris decedet. Natura enim easdem actiones sub boni malive specie suscipiendas aut omittendas repraesentat. Ibi actio ut justa commendatur, hic ut utilis & necessaria. Imo justa facta est, quia tam praesentis ad salutem publicam usus erat. Idem utrinque cuneus urget, & male agere neque per legem, neque per naturam impune est. Poenae formidine continentur improbi; sed ut leges justum injustumque arbitrarii mali comminatione sanciverunt, ita natura humana sic est disposita, sic ad se invicem comparati affectus nostri, & facultates, ut perversi mores seipsos fere ulciscantur.

§. VIII.

Officio justi quis satisfecerit, externae quidem securitati suae consulit: sed viri boni laudem non meretur, nisi animum

a prava

(a) *I. S. III. 98.*

a prava cupidine integrum servet, et nulla necessitate extrinseca compulsus, sponte rectum se præbeat. (a) *Quam angusta innocentia est ad legem bonum esse, quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, justitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas sunt.* (b) Honesti hæc est notio, si specialius sumatur vocabulum, ut denotet id, quod ratio faciendum nobis repræsentat, tanquam respondens fini humanæ naturæ, qui est omnium & singulorum felicitas, licet nulla in vita civili lege, nulloque periculo sancitum sit. Alias latius patet, & tam officia justi, quæ summa ipsorum necessitas legibus inseruit, quam nobiliora illa præcepta, quorum fructus in conscientia sunt, complectitur. Ita Stoici honestum dicebant *perfectum bonum, quod omnes a natura habeat quæsitos numeros, sitque perfecte moderatum*; & hoc sensu quatuor ejus species, *justitiam, fortitudinem, temperantiam & scientiam* constituebant. (c) In quo fere cum Platone illis convenit, ex cujus sententia Cicero ad honestum refert, perspicientiam veri, solertiamque, tuendæ societatis curam, animi excelsi atque invicti robur, modestiam atque temperantiam. Atque ad duas illas significationes reduci fere possunt, quotquot passim diversæ honesti definitiones afferuntur.

§. IX.

Æque late cum honesto patet virtus, quando ut solet fere, de moribus usurpatur. Est illa constans & perpetua voluntas agendi, quod honestum est: cumque per omnem vitæ ambitum se diffundat, variis postea nominibus ad singula objecta determinatur. Horatii illud:

Virtus est vitium fugere.

Lactantio displicuit. (†) Quasi vero Poëta Chrysippi scrinia expilare, & minutias, quales vix Stertinii acumen capit, sectari debuisset. Repetit ibi incidenter, quæ passim inculcat, virtutem esse in illo æquilibrio, quo natura humana amorem proprium,

(a) *I. Ep. XVI. 40. seq.* (b) *Senec. de Ira I. c. 27.*
(c) *Diog. Laërt. in Zenone* 100.
(†) *Instit. div. VI. p.* 516. *ed. Oxon.* 1684. 8.

prium, & curam societatis, appetitum & reflexionem, æquis ponderibus sustinet. Itaque si ad alterutrum extremum inclinatus fuerit animus in vitium incidit.

Insani sapiens nomen feret, æquus iniqui
Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.

§. X.

Quidnam vero est illud *quod satis est?* Equidem vereor, ut ullos agnoscant limites, qui virtutem per se, detractis omnibus præmiis, fructibusque expetendam censent. Quisnam apud illos modum excedere existimabitur in appetenda re, cujus fines a nulla alia definiuntur? Splendida causa est, & quasi sacrosancta, quia si quis dubitet, aut de sensu saltem verborum quærat, statim ac si quod maxime sanctum inter homines est, in commercium trahat, ac venale exponat, ignominiose repellitur. Itane, ajunt, amicitias utilitate metiris? Sapientia Tibi, justitia, fortitudo, temperantia vana nomina sunt, quæ tum demum sequare, cum reditus prius computaveris? Leonidas tibi, & Epaminondas, & apud Romanos Decii, & M. Regulus, & Lucretia, & L. Virginius, & tot alii, qui pro patria, pro pudicitia, pro fide vitam, aut proxima vitæ pignora posuerunt, aliud quicquam, præter solum honestum in consilio habuisse videntur? Egit hanc causam Cicero, (a), cum adversus Torquatum disputat, qui ex Epicureorum sententia, omnem virtutis fructum ad voluptatem retulerat. Et quis ageret facundius? quid non, quod in se exile est, magnum & speciosum in illo ore evadit? Res ipsa itaque in culpa est; quod ille, qui toties de senatu, toties de populo eloquentia triumphavit, hic lectorem destituat, nequaquam convictum captionibus istis dialecticis, & perpetua vocabuli voluptatis cavillatione. Audeam dicere, obesse illum virtuti, dum maxime inservire vult, & quadrare huc quæ Aristoni, & Pyrrhoni ipse objicit: *Dum in una virtute sic omnia esse voluerunt, ut eam rerum selectione exspoliarent, nec ei quidquam aut unde oriretur,*

(a) *Lib. II. de fin. bon. & mal.*

retur, darent, aut ubi niteretur, virtutem ipsam quam amplectebantur, sustulerunt. Non vult admitti precario virtus, nec adeo ingrata est, ut nihil suis rependat. Idque adeo verum est, ut ipse Cicero, dum maxime contrarium agit, modo honestum commendet ideo; quod natura hominum sociali convenit, quod verum, quod utile, quod pulcrum est: modo gloriam, quæ illud sequitur, repræsentat. Nonne hoc est honesto aliquod prius supponere? Et gloria quidem illa, magna virtutum mater apud veteres, cujus sitis & Te, Cicero, Arpino Romam traxit, & pulcherrimum Patris Patriæ nomen tibi obtinuit, quem habet efficaciorem stimulum, quam virilem voluptatem, quam generosæ animæ ex recte factorum conscientia, & aliorum judicio sentiunt. Cur ergo non agnoscis Epicuri vocem, negantis jucunde vivi posse, nisi etiam honeste? Cur obstinate adeo exprobras quod honestum omne sustulerit, illi qui idem etiam jucundum esse probavit, & cujus mortem ipsæ Leonidæ & Epaminondæ æquas?

§. XI.

Sed jam quod Lollio suo examinandum commendat Horatius (a)

Virtutem doctrina paret, naturane donet?

ipsi ex sententia ejus conficiamus. Beate, hoc est jucunde, tranquille, saltem minimo cum incommodo, quantum indoles naturæ & conditionis nostræ patitur, vitam agere cupimus. Id alii in aliis rebus, & sæpe frustra quærimus. Plerique etiam non tam suo quam aliorum ingenio vivunt. Sed qui id ex rationibus magis quam cupidinibus discere voluerit, deprehendet ita arcana quadam dispositione institutam esse naturam humanam, ut nihil ad promovendam felicitatem efficacius sit, sapientia, fortitudine, temperantia, humanitate, & quicquid ad virtutem pertinet. Non ad simulatam illam, & ad captandam viri boni famam unice compositam, sed illam quæ penitus in animum descendit. Quod postea per singulas objectorum, quibus

(a) *I. Ep. XVIII.* 100.

quibus præcipue afficimur classes deducendum, nunc ex generalibus quibusdam probabitur.

§. XII.

Honorificum virtuti testimonium est, quod & pessimus quisque illi perhibet, dum vitia sua, quantum potest ad similitudinem ejus adducit, ejusque nomine appellari optat. (a) Quis non avarus parsimoniam, quis non versutus & perfidus, constantiam, fidemque laudaverit? quis se unquam ingratum, quis superbum, quis invidum confessus est? Intelligunt nimirum quantum momentum ad concilianda hominum studia habeat viri probi & integri fama, & quod quilibet sapiens & æquus hominum judex, ut Mœcenas solebat

turpi discernit honestum
Non patre præclaro, sed vita & pectore puro.

§. XIII.

Sed illa forte gratis dicta: quoniam ita sufficere arbitrabuntur cupidi, & honorum studiosi homines, si speciem viri boni referant. Quid non imitatur amor proprius, cui non servit scenæ, ut voto potiatur? ad omnem indolem, omne vitæ genus se attemperat,

in cœlum jusseris, ibit.

Quærenda ergo sunt, quæ ut bona fide, & remoto etiam custode virtuti operetur, persuadeant. Et in tanta quidem ingeniorum varietate, ubi aliis alii judiciis reguntur, non suffecerit unam tantum & singularem rationem attulisse. Erectiores animos amor veri & pulcri ducit, & nobilis verecundia nihil contra admisisse. Si id in unaquaque re pulcrum est, quo ante alias ad præstandum usum suum excellit, idque utilitate hac, & quadam ad reliquas partes proportione nititur, quid possit homini pulcrius virtute obtingere? Sic & Græcis honestum & pulcrum eodem nomine appellatur.

 §. XIV.

(a) *I. Sat. III. 49. seqq.*

§. XIV.

Expendant mihi velim, quam multo cum ipſis melius agatur, ſi quales videri volunt, revera ſe præſtent. Multi qui peccant, ſemetipſos id celare mallent, quod aliqua illis de honeſtate perſuaſio ſupereſt, quam contrariam quidem deſideriis ſuis experiuntur, excutere autem veluti falſam non audent. Et licet ad ſpeciem aliquam excogitandam ſatis ingenioſi ſunt, major tamen eſt vis veritatis. Quam licet aliquantiſper obruat impetus, reſurgit tamen illo deferveſcente, ſeque ulciſcitur. Rident autem ad talia, qui ſenſum virtutis, quem nunquam habuerunt, non metuunt. Deberent quidem multa illos exempla commonefacere, neminem ſecurum eſſe, quid in poſterum ſentire poſſit. Multis ætas, morbusve, aut caſus improviſus, auditave forte aut conſpecta virtus meliorem mentem dedit, & ante acta tanto acrius dolentem, quoniam fruſtra. Sed magis movere debet cogitatio, quod hominum voluntates viresque ita ſunt diſpoſitæ, ut nemo facile impune malus ſit. Odimus & declinamus quos injuſtos, perfidos, ingratos, impotentes animi novimus. Corrumpit tacitorum ſcelerum fructum metus, ne olim improviſa illa dies prodat. Et demus illis latebras, ineſt tamen iis aculeus ſuus, ineſt quod efficit ut carere iis aliquando mallent. Audimus homines de iracundia, de impatientia, de ſuſpicionibus ſuis queri. Sæpe accuſant gratiſſimos appetitus ſuos, cum adverſus medici interdictum feruntur. Nihil proficitur judicio, nec quo jus fasque, quove amici aut futurorum providentia, ſed quo affectus trahit, itur.

§. XV.

Adeo autem ille inquietus & inſatiabilis eſt, ut niſi mature modum ſponte quis imponat, diu deluſum & fatigatum ſera tandem neceſſitas, invitum, & nequicquam obluctantem in ordinem cogat. Habet enim omnis cupido multa

extra

extra arbitrium noſtrum poſita. Qui gloriam ex aliorum de ſe exiſtimatione captat, ubi per multos annos uni huic operi, omnes vitæ blanditias, omne aliud officium poſtpoſuit, num tandem polliceri ſibi omnia ſuffragia poterit, in hac judiciorum licentia, & a ſeculo tam ſuſpicaci, tam faſtidioſo dictorum factorumque alienorum interprete, quodque acumine ſuo, ſcientiarumque & artium, & omnis moralis & civilis doctrinæ luce, ad aliorum cenſuram præcipue uti videtur? Quam dura ſervitus: *ille me parum humane ſalutavit, ille oſculo meo non adhæſit, ille inchoatum ſermonem cito abrupit, ille ad cœnam non vocavit, illius vultus averſior viſus eſt.* Quam multorum ſpem poſteritas deſtituit? Et ſi id parum videtur, quoniam non ſentiunt ipſi, augere tamen ſollicitudinem viventium poteſt, qui eo ſolatio ægritudinem ſuam ſolantur, cum non juſtum ſibi pretium poni queruntur.

§. XVI.

Intereſt porro quo modo quæ honeſta ſunt peragantur. Perdit ſæpe beneficii gratiam vultus & ſermo quo datur. Sapientiam ipſam vilem & ridiculam nonnunquam fecit affectata auſteritas, penula & baculus, detritum pallium & ſupercilio brevior coma. Multa ex moribus receptis ad perſonarum, temporis, loci, intentionis noſtræ circumſtantias attemperare debet prudentia. Eo comparatæ ſunt virtutes homileticæ Ariſtotelicorum. Recentiores fere decorum vocant, anguſtiori vocis ſignificatione, quam veteres interdum adhibebant, præſertim Stoici, quibus decorum & honeſtum promiſcue uſurpatur. Totum illud tollebant Cynici, ſervilis ſecta, qui præter rigidam virtutem nihil dignum putabant, cujus cauſa vel minimum facerent. Solent argumentis illorum adhuc hodie uti, qui omnia illa tanquam inepta, & a vanis hominibus ad fraudem atque oſtentationem excogitata rejiciunt. Diſputat adverſus Cynicos Poëta. (a) Et

(a) *I. Ep. XVII, 16. ſeq.*

Et ſane, cum plurimum ad conciliandas hominum voluntates faciat morum ſimilitudo, ea vero raro inter plures contingat, quis foret vitæ civilis tenor, ſi prudentiores naturam arte non ſupplerent? Nunquam evellent Cynici hominum animis mutuum illud placendi ac benefaciendi ſtudium, ad quod ſumma nos ex amore & amicitia orta lætitia invitat. Ruſticus erat factus, in nullius gratiam vim propriis moribus facere, neminem modeſtius alloqui, & in rebus permiſſis, ſermone, cultu, victu, non ſequi multitudinem velle, ſed ducere. Aſt uero libertatem jactabant. Quaſi non æque propter lactucam, vilemque panem obnoxii plebejis hominibus fuiſſent, ac Ariſtippus ob regiam menſam Dionyſio. Illud adhuc pro Ariſtippo, adverſus Cynicos urget Poëta, quod ad omnem vitæ modum factus, quamcunque fortunam ferre potuiſſet, quodque penula illum nudusque humerus æque ac Syracuſana toga decuiſſet, quales contra præſtitiſſent ſe Antiſthenes & Diogenes & Crates in aula, cui nec divinus Plato accommodare ſe poterat?

§. XVII.

Ut quæ contra honeſtatem fiunt, odium & indignationem excitant, ita quæ hic peccantur, modo malitia abfuerit, riſu fere transmitti ſolent. Nolo omnes ridiculos in ſcenam revocare, quos Horatius produxit. Sed male tamen obliviſcitur ſui prætor ille Fundanus, qui in municipio

Prætextam & latum clavum, prunæque batillum (a)

magnorum Romæ magiſtratuum inſignia imitatur. Jure Damaſippus ineptum Mæcenatis imitatorem ridet, in diſſimili fortuna impenſas ejus moresque æmulantem. (b) Quam abjecta, quam indigna agunt patiunturque hæredipetæ? (c) quam obtuſus eſt importunus ille Horatii comes, quam ſe inepte laudat, quam intempeſtive profert ſtudium conſiliumque innoteſcendi Mœcenati? (d) Quam inſulſæ Naſidieni epulæ, quæ ſordium

(a) *Serm. I. 5. 31. 36.* (b) *II. S. III. 307.* (c) *II. S. V.* (d) *I. Sat. IX.*

ſordium & elegantiæ mixtura? (a) Commendat dapes ſuas, usque adeo ut in apro quod putet, in murena quod gravida capta eſt prædicet. Laudat magno convivæ & callidiſſimo deliciarum vina quæ non apponit, & ſic quoque ad liberaliorem hauſtum expallet. Non facile alibi fœcundior ridiculi ſeges eſt quam ubi idem vitæ modus non tenetur, aut ſpecies quædam, minutiis alienisve actionibus captatur: quando quis fluctuat, & indies conſilia ac vota mutat, quando qui modo rigidam virtutem profitebatur, mox ad leviſſimam vitii tentationem ſuccumbit, quique nunc nobiliſſimis æquari cupiunt, paulo poſt infra ſerviles ſortes dejiciuntur. (b)

§. XVIII.

Sed manca eſt philoſophia, quæ generalibus contenta, non applicat illa ad vitam & objecta, quibus tota fere occupatur. Vitam ipſam, inquam, valetudinem, vigorem, formam, oblectationem ſenſuum, exiſtimationem, famam, gloriam, poſſeſſiones, divitias. Quorum omnium fines ita regendi ſunt, ut quantum quidlibet illorum, ad neceſſitates noſtras ſublevandas, augendamve felicitatem facit, tantum in ſectando, conſervandove ſtudii ponere fas habeatur. Faciam rei periculum in præcipuis illorum: Ubi non tam miror, quod multi modum hic non teneant, quam quod inter illos, qui rationis imperium ſequi ſe profitebantur fuerint, iique ſapientiæ laude celeberrimi viri, qui nihil prorſus illorum in parte boni ponendum eſſe contenderint. Si vel maxime anima in corpore tanquam in carcere ageret, nonne ſapiens carcerem etiam, quantum poteſt ſibi accommodabit? Debebat ſane arctiſſima corporis & animæ conjunctio admonere illos, utriusque curam nobis convenire, atque ut perfecte bonus eſt, qui omnes utriusque facultates rite temperat, ita ad perfectam felicitatem requiri, ut toti homini bene ſit. Sed fallor, aut in meram de verbis diſceptationem tota hæc controverſia exibit.

§. XIX.

(a) *II. Sat. VIII.* (b) *II. Serm. VII.*

§. XIX.

Mallet ſane & Stoicus, ex ſuo fundo, quæ ad tolerandam vitam neceſſaria ſunt, tollere, quam aliena quadra vivere, & ſub inſulſo domino multa aut facere, aut pati indigna. Non poteſt enim erigere ſeſe, aut egregium aliquid moliri animus

- - - *de lodice paranda*
Attonitus.

Qui contra, ſi ab illis ſordibus liber, ſua tantum agere negocia poteſt, in laſano etiam & aqua cum corpore convivabitur, lardumque ſuum & olus omnibus paraſiticis menſis longe anteponet. (a) Modica res ſuffecerit, qui bene illa uti novit. Eadem enim ratio, quæ ſuadet, ut quisque pro ſe vitæ ſuæ ſubſidia habeat, paucis quoque contentum eſſe docet, ut fortunæ quam minimum in eum liceat. Non invidebit ditioribus, (b) non orbo Damæ adulabitur. Inanis enim illa triſtitia, hæç dura ſervitus. Conſervabit ſua, & conceſſis modis ampliabit; non ut illi ſuadere ſolent, qui unam pecuniam, virtutem, genus, formam, ingenium, gratiam, ſuadamque dare putant. (c) Seponet ſuis quæ frugalitas comparſerit, (d) eosque non ſanguinis tantum, ſed & publici boni ratione computat. Nec ad ultimas tabulas differet beneficentiam, ſed accommodabit tempori, quo maximo cum fructu prodeſſe poteſt: (e) & ſic ſecundis aliorum rebus gratoque animo ſuperſtes fruetur, ac poſteritati ſuæ quaſi intererit.

§. XX.

Avaritia vero, (f) præterquam quod nimis facile mentem a vero rectoque abducit, hoc in ſe habet ridiculum, quod videmus homines res ad uſum vitæ factas, in contrarium prorſus vertere. Quærunt argentum anxii, non in ſolatium ſenectutis, non quo liberalius educentur liberi, patria, amici adju-

(a) *conſ. I. S. VI. 60. ſeq.* (b) *ib. 10. ſeq.* (c) *I. Ep. I. 65. 66.* (d) *II. S. VI. 7.* (e) *II. S. II. 103 - 105.* (f) *argum. I. S. I.*

adjuventur; ſed quod vel defodiant timidi, vel majoris lucri ſpe iterum perdant. Ad minimum, quam illos excruciat furum, tempeſtatum, incendiorum metus, quam ſola fraudis aut periculi ſuſpicio? Tandem vix propriis jam manibus fidunt. Denique id operæ & tot ærumnarum pretium habet avarus, ut liberi, uxor, cognati, & quicunque amiciſſimus natura eſſe debebat, illum oderint, atque ubi forte de frigore, aut calore queritur, ſtomachusve aut ſomnus in ſuſpicionem venit, ſecuri jam in funeris ſpem nummos fœnore conducant, & cum aliquando vera hæc gaudia fiunt, ne quidem honoris cauſa mortuo illachrymentur. Nec habent ſæpe, quod acceptum illi ferant, niſi quod mortuus eſt, ut Horatianus ille, qui ſapienti parſimonia mori, quam ſumtus in medicinam facere malebat. (a)

§. XXI.

Et quis avaritiæ unquam defenſionem ſuſceperit? Impeditior de voluptate quæſtio eſt, quæ ex ſenſibus oritur. Hinc enim ſeverior virtus, & multo acrius affectatio ejus, hinc interna inclinatio certant. Sed plerumque ne de vocabulis quidem convenitur. Notus eſt Hercules in bivio, nota Pythagoricorum abſtinentia, & famelica Cynicorum ac Stoicorum diæta. Contra etiam Socratem, cujus præcipua fuit cura, doctrinam moralem conciliare cum deſideriis hominum, in conviviis invenimus, lotum, novisque indutum calceis, hilarem & liberius diſſerentem. Usque adeo captat delicias optimus ſenex, ut cum ultima die, demto ſibi compede, veſtigia ferri in crure leviter fricat, gratias fere agat antecedenti dolori, quod hanc ſibi voluptatem pepererit. Nihil de Epicuro aut Ariſtippo addam, quoniam illorum qui nomina audit, ſtatim ſibi patronos voluptatum repræſentat. Carneadis autem, Calliphonis, Diodori, Hieronymi, (b) qui omnes voluptatibus faverunt, obſcurior eſt auctoritas, quam ut mereantur adduci. Atqui & veterum Academicorum, & Peripateticorum ea fuit ſententia,

 ut

(a) *II. S. III.* 157. (b) *vid. Cic. Fin. II.* 11. *ed. Gron.*

ut finem bonorum dicerent, secundum naturam vivere, id est virtute adhibita frui primis a natura datis. (a)

§. XXII.

Non est hujus loci disquirere, quousque singulos illorum hypotheses suæ deduxerint, quæ logomachiæ intercesserint, quibusve ex causis alias hypotheses favor, alias invidia exceperit. Præstabit rationibus rem agere, cum quisque pro se deprehendat, ita mentem & corpus nescio quo vinculo uniri, ut multum illius intersit, quomodo hoc nutriatur, exerceaturque. Ita vero instituta est corporis structura, ut novis indies alimentis instaurari debeat, ut exercitatione & quiete opus habeat, utque illæ res non solum innocentem, & maxime naturalem voluptatem pariant; sed objectorum etiam, quibus circumfundimur, alia aliis conveniant. De gustibus nemo disputat. Oculus usu hebescit, & iterum quibusdam coloribus delectatur. Modo apricas hortorum pratorumve amœnitates, modo obscuram sylvarum viredinem desiderat. Ipsa justa rerum figura, similitudo, dispositio, proportio placet. Quam non vultus, habitusve corporis, & cultus hominem sæpe commendat? Et in his quidem ratiocinationis forte aliquid inest. Sed odoribus quoque aliis suaviter, aliis secus afficimur: aurem quidam soni offendunt, quidam demulcent, & corporis membra æque ac animum incitant. Itaque discrimen aliquod jucundi & molesti, quantum ad sensus, iterum a natura est, quæ non animum modo tranquillum sed corpus etiam sine dolore vult, & voluptatem, quæ in motu est, in lucro ponit, sive in animo cognitio veri, recteque factorum conscientia lætitiam, spemve excitaverit, sive a corpore profecta fuerit hilaritas.

§. XXIII.

Sed cum instinctus illi in infinitum tendant, nullo habito moralium circumstantiarum discrimine, reflexione opus est in feli-

(a) *Cic. Fin. II. 11. ed. Gron.*

ſeligendis objectis, ne voluptates ſectemur, quæ longa pœnitentia luendæ ſint. (a) Quod accidere ſolet, cum in rebus inhoneſtis quæruntur, quæ valetudinem, exiſtimationem aut rem familiarem affligunt. Illa enim moleſtia non tam ex ſenſu voluptatis provenit, quam quod actione incongrua quæſita eſt. Itaque examine, & providentia futurorum, & commenſuratione opus eſt circumſtantiarum, ut conſtantes & innocuas voluptates, aut quæ ſaltem quam minimis incommodis urgentur, a brevibus & noxiis diſcernas. Quin & rigidior illa pars, non tam eripiunt ſenſibus voluptatem, quam parabili contentos eſſe docent. Cynici ipſa fame obſonia condiebant, M. Antonino in pellibus ſuis, quis non credat facilem jucundumque ſomnum veniſſe, cum Mæcenas fruſtra illum multa arte & impenſa invitaverit. Etiam avium concentus, aut leniter labentis aquæ ſuſurrus aurem delectat, & prata certantem hortis odorem ſpargunt.

§. XXIV.

Non pudebit nos, ſpeciminis loco, quem voluptatibus his ipſa hominum natura modum ponat, ab Ofello ruſtico audire, pro vita temperante, ſobria, frugali verba faciente. (b) Objicit primum luxuriæ, quod vita illa animum enervet, ſegnemque & officii negligentem efficiat, ac ad vitia inclinet. Aſſueſcere animum fallendo ignavis artibus tempori, ut tandem nec horam ſecum eſſe poſſit, & ſic cum corpore ſimul ante tempus contabeſcere. Nam valetudo ſimplici fere & ordinato victu, abſtinentia, labore & modica quiete diutiſſime ſervatur. Sed metuenda eſt illis ſenectus, qui ætatem rebus gerendis aptam, in qua vitæ præſidia conquirere debebant, adeo molliter habuerunt, ut deinde vel probroſam vitam nudi inerteſque trahere, vel præcipitia conſilia ſequi debeant. Scilicet actum eſt de re familiari, ubi mores iſti dominantur. Qui vero ab illa parte ſecuros ſe putant, honeſtius tamen impenſas facere poſſent.

 Et

(a) *I. Ep. II. 55.* (b) *II. Serm. II.*

Et quis illis vadimonium pro fortuna præstitit? Interdum enim & ditissimis ordinaria lautitie sua, invitis divitiis suis carendum est. Quam insanæ tandem conviviorum leges, quæ palatum ad pretia rerum componi volunt, quia ex alio orbe allata est, quia justam magnitudinem excedit, quia ante aut post tempus suum apponitur. Introducta in usum lætitiæ hospitalitas oneri fit. Ultra sitim bibitur; & jam vix oneri par stomachus, novis irritamentis excitandus est. Postridie etiam gratiæ agendæ, quod fere occiderint. Macte, Ofelle, qui ita tuos educaveras, ut recta in illa appetitu ferrentur, quæ sufficere, ac ideo appeti debere, vix longa alii ratiocinatione assequuntur.

§. XXV.

Nescio jam, utrum æquo animo laturi sint laudis & gloriæ studiosi, quod ultimo hic loco vota illorum expendantur. Fluit ex tenerrimo amore, quem natura omnibus ingenuit, ut quilibet aliis non indignus saltem videri velit, quocum communia humanitatis jura habeant: Si vero illum insuper multum ad incolumitatem, utilitatemque suam consilio, inventis, aut strenuis facinoribus conferre posse & velle credunt; si bonum vicinum, amicum fidelem, amabilem convivam experiuntur, nascitur inde amor quidam, & fiducia in illum, conciliandique ac retinendi desiderium. Hæc talis existimatio multum sæpe ad securitatem, ad obtinendas dignitates, & divitias facit, studiaque illa hominum ac benevolentia nobilem quandam in animo voluptatem pariunt.

§. XXVI.

In vita civili autem prærogativæ hominum externis indiciis distingvuntur. Honor, dignitas, auctoritas, ad certas familias plerumque, ordines, collegia, officia alligantur, & dignis indignisque promiscue patent. Acquiescendum itaque in moribus civitatis: Quibus ut jure suo fruitur, si cui favent, ita contra

contra niti, & ambire, quæ non ſunt in poteſtate noſtra, inanis fere opera erit, aut quæ multum invidiæ, parum vero ſolidæ mercedis habeat. (a) Multa enim ex illis, quæ tanto ardore quæruntur, in vulgi tantum oculis magna ſunt. Quid tandem referebat apud Romanos degeneri Lævino, aurea in nigro calceo lunula, & purpuræ fimbria, quid exeſæ majorum ſtatuæ, & ſuſpenſa in veſtibulo devictarum ab iis gentium tropæa? Poterat amare obſcuritatem ſuam Horatius, quando videbat nobiliſſimos potentiſſimosque homines ſingulis civibus adulari, patrimonia in ſportulis, in ludis faciendis, in ſuffragiis conducendis conſumere, & immenſum æs alienum contrahere, ut lati in circo ſpatiarentur & ſtatuam impetrarent. Tum poterat gloriari, non queri ſe, ut alii ſolent, quod non ſua culpa in exili fortuna natus ſit, ſed reſumturum etiam illam, ſi optio daretur. Tanti ſcilicet faciebat animum nemini obnoxium, quem nec ſollicitudo augendæ pro dignitate rei, nec æmulorum metus, nec ſalutationum incommoda, majorumve faſtidia excruciarent.

§. XXVII.

Poteſt aliquis etiam privatam vitam illuſtrare, & cum gloria latere, ſi modo dignam laudi materiem ſeligat. Non quam ille, qui nullam majus paupertate dedecus ratus, ſummam pecuniæ, quam relinquebat, ſepulcro inſcribi volebat. (b) Nec quam Gargilius, qui ut magnus venator crederetur, emptum aprum longo circuitu per forum campumque domum ferri curabat. (c) Et talia quidem ridemus, ſed gravius inſaniunt, qui famam quærunt nequitia, aut ſemet ipſos perdendo, ut ille:

Conductis coëmens obſonia nummis
Sordidus, atque animi quod nolit parvus haberi. (d)

Supereſt ergo optima, & ſolida, & fere in poteſtate cujusvis poſi-

(a) *I. S. VI.* (b) *II. S. III. 84. ſeq.* (c) *I. Ep. VI. 57. ſeq.*
(d) *I. S. II. 10.*

posita innocuæ vitæ laus, (a) nec sceleris modo puræ, sed a suspicione etiam tutæ, (b) quæque tota officium faciendo transigatur, ac bene de aliis, pro modulo fortunæ, qualiscunque obtigerit, merendo. Cui si animus a superstitione & popularibus erroribus liber, & verum in unaquaque re discernere promtus accesserit, & bonorum probatorumque hominum suffragium, nihil jam ad gloriam deest. Neminem hic locus, ætas, fortuna aut vitæ genus excludit. Neque tamen & illa, aut populi judicio æstimanda, aut cum affectatione requirenda est. Reposita sunt in conscientia adversus falsa opprobria, vanosque rumores remedia. (c) Molesti perinde ac ridiculi sunt, & qui probitatem suam ubique aliis obtrudunt (d) & qui summa imis miscere, quam fateri errorem, & emendationi locum dare malunt. (e)

§. XXVIII.

Omnia illa eo comparata sunt, ut appareat, nihil magis convenire naturæ humanæ, verisque utilitatibus nostris quam virtutem: quod efficacissimum est ad persvadendum argumentum. Neque forte male hactenus Horatius. Cum enim nimium indulget genio, deserendus est. Nam licet sanctiorem sublimioremque disciplinam nobis tradat christiana religio, & gentilium quoque nonnulli, cum de Deo, de providentia, de anima hominis rationarentur, mente, qua longissime potest, provecti, similia fere illis, ad mores regendos inculcaverint; non contemnendum tamen est in hoc systemate, quod Horatius sui ævi hominibus ostendit, etiam si Deorum metum, fabulasque manes animo ejicere audeant, naturam tamen nos ad fortitudinem, justitiam, fidem, amicitiam, temperantiam instituisse atque formasse, & male actum fore cum mortalium genere, si ab illis recedatur: neque quenquam pro se melius sibi consulere posse, quam si ad illarum præscriptum vivat. Interest moralis doctrinæ, ut quam maxime fieri potest in aperto constituantur vitæ officia, &

(a) *I. S. VI. 65. seq.* (b) *ib. 84. 85.* (c) *I. Ep. XVI. 38. seq.* (d) *II. S. III. 39. 40.* (e) *I. Ep. XVI. 24.*

& naturæ cum virtute concordia ad evidentiam deducatur. Quid enim illa natura? Nonne omnes illæ dispositiones, facultates, instinctus sapientem manum, mentemque superiorem ostendunt? Et sic natura divinæ voluntatis hominibus index atque interpres est.

CONSPECTUS.

I. *Argumentum: præcipua doctrinæ moralis capita ex sententia Horatii explicare.*

II. *Observatio naturæ fundamentum philosophiæ moralis.*

III. *De primo philosophiæ moralis principio veterum dissensus, ejusque causæ.*

IV. *Investigandum id in sensu communi.*

V. *Secundum naturam varii boni & mali, & sic quoque officiorum gradus.*

VI. *Officia justi unde oriantur?*

VII. *Explicatur locus I. S. III. 113.*

VIII. *Honestum quid?*

IX. *Ei respondet virtus.*

X. *An virtus propter se ipsam expetenda?*

XI. *Naturæ ad virtutem invitamenta.*

XII. *Virtutis opinio quantum in vita civili possit?*

XIII. *Cur simulacra virtutum non sufficiant? Pulcrum virtutis.*

XIV.

